Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8221
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



An Planetis considerandae sunt.

1 Proprietates 2 Qualitates
3 Possessiones 4 Fortitudines
5 Significationes.

Saturnus est masculinus diurnus, et inimicus humanae vitae, osor hominum, destruens valetudinem hominum quibus potest modis. malevolus & infortunatus. et est significator Patrum, si est Orientalis sciat initium senectutis, si est occidentalis sciat, ultimam senectam. dicitur etiam infortuna maior.

Iuppiter est masculinus, diurnus & fortuna maior, significator sciae, operator calorum. & ab aetatib. sciat iuventutem usque ad perfectam aetatem, est calidus & humidus, sanguineus.

Mars est dominus belli, Planeta masculinus nocturnus, & infortuna minor. per proprietatem desiccat & comburit, quia est proximus Soli & calor eius augetur a Sole.

Sol est Planeta diurnus, masculinus, fortunatus per aspectum. sed infortunatus per coniunctionem corporalem. calidus & siccus. quidam vocarunt Candelam & lumen Caeli, gubernatorem caeli mundi, & factorem temporum, quia suo motu distribuit tempora. item dicitur Spiritus caeli magnus, quia cum eo vivificantur signa & in eo habent maiorem vim. vocatur etiam dominus magnus potentiae. & est quasi rex in caelo.